

3, 6, 12, 24, 48, 96.

---

0, 1, 2, 3, 4, 5.

Ex his iam infinitam progressionem conficere poteris: Vt si cupias habere numerum octauo loco collocandum, quere sub numeris proportionalibus duos digitos, qui octo constituent, vt sunt 5 & 3, horum digitorum proportionales numeros, videlicet 24 & 96 inuicem multiplica, productum per primum progressionis numerum diuide, & habebis numerum octauo loco collocandum, vt in presente exemplo, 24 cum 96 multiplicata, faciunt 2304, qua per primum progressionis numerum, videlicet per tria, diuisa, faciunt 768, octauo loco collocanda. Vel numerum, cui quatuor sunt subscripta, in se multiplica, productum similiter per primum progressionis diuide, & idem proueniet. Rursus si numerum octauo loco positum sumas, habebis numerum decimo sexto loco ponendum, bis enim 8 sunt 16. Atq; hoc faciendum si progressio non sumat initium ab vnitate, Sin ab vnitate initium sumat, Diuisione nihil opus est, sed simpliciter numeri eiusmodi inuicem multiplicantur, vt in hac dupla progressionem.

1, 2, 4, 8, 16, 32.

---

0, 1, 2, 3, 4, 5.

Ad habendum numerum loco nono ponendum, multiplica numeros quibus sunt subscripta 4 & 5, qua